

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (34)

4.12.2. De re scholari in regione missionaria

4.12.2.1. De generalibus condicionibus scholaribus, quae in Africa Orientali vigeant

Antequam specialiter in missionarias scholas Benedictinorum incumbemus, necessarium mihi esse videtur, ut saltem breviter generales condiciones scholares explicemus, quae in Africa Orientali et tempore Germanorum et tempore Anglorum usque ad annum 1930^{um} vigeant. Imprimis de condicionibus huius regionis referendum esse puto, quia unā ex parte eadem inde ex decennio octavo saeculi undevicesimi plus quam triginta annos sub dicione Germanorum erat, alterā ex parte Benedictini Ottiliani ibīdem primam missionem suam exteram susceperant atque eorum prima Praefectura Apostolica (deinde in Vicariatum Apostolicum mutata) instituebatur.

Schola autem plus minusve systematice exhibita, quae erat secundum perceptionem Europaeam, ab societatibus missionariis in Africam Orientalem introducta est.¹ Hōc in conexū magni momenti erant catholici Patres Albi (PA),² qui praeerant Apostolicis Vicariatibus, qui appellabantur Tanganyika, Nyassa Meridionalis atque Unyanyembe, atque Patres Spiritus Sancti (CSSp),³ quibus erant Apostolici Vicariatūs, qui dicebantur Zanguebaria

-
- 1 Hōc non significat in singulis gentibus Africanis ibi viventibus antea nullam educationem puerorum puellarumque exstitisse neque eandem magis traditionalem deinde abolitam esse. - De hac re *cf.* ex. gr. A.R. THOMPSON: Historical survey on the role of the Churches in education from pre-colonial days to post-independence. In: Allan J. GOTTFNEID (ed.): Church and Education in Tanzania. Nairobi 1976, pp. 13 sqq.; J. CAMERON / W.A. DODD: Society, Schools and Progress in Tanzania. Oxford / New York 1970, pp. 47 sqq.
 - 2 De Patribus Albis eorumque opere educatorio *cf.* ex. gr. Joseph SCHIMDLIN: Die katholischen Missionen in den deutschen Schutzgebieten. Münster 1913, pp. 136 sqq.; Franz Solan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen des Tanganyika-Gebietes. Obergingen 1935, pp. 31 sqq.; Franz-Solan SCHÄPPI: Die katholische Missionsschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, pp. 141 sqq.; Anthony SMITH: The missionary contribution to education (Tanganyika) to 1914. In: Tanganyika Notes and Records 60, 1963, pp. 96 sqq.
 - 3 De Patribus Spiritus Sancti eorumque scholis *cf.* ex. gr. Joseph SCHIMDLIN: Katholische Missionen (1913), pp. 124 sqq.; Franz Solan SCHÄPPI (1935), pp. 2 sqq.; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 112 sqq.; Anthony SMITH: Missionary contribution. In: Tanganyika Notes and Records 60, 1963, pp. 93 sqq.

(Septentrionalis), Kilimandscharo atque Bagamoyo,⁴ et consociatio Anglicana, quae dicitur «Universitatum Missio Africae Centralis» (UMCA),⁵ quae operabatur in locis Tanga atque Masasi et in regione lacūs Nyassae, et protestantica «Ecclesiastica Societas Missionaria» (CMS),⁶ quae praesertim circa locum Mpwapwa labores exhibuit.

Cum vero Germani Africam Orientalem sibi acquirere inciperent, etiam plures missionariae societates Germanicae opera sua incohaberunt, inter quas erant variae societates protestanticae⁷ atque ex parte catholicā Otiliensis Congregatio Benedictina, cui Apostolica Praefectura Zanguebariae Meridionalis (deinde Vicariatus factus atque denique «Daressalamensis» appellatus) tradita est.⁸

Omnibus autem societatibus missionariis educatio atque schola erant magni momenti, etiamsi in scopis perpetrandis erant differentiae plus minusve subtiles. Cum enim scopus missionarius generalis protestantium esset in eo, ut missionariae ecclesiae populares sui iuris erigerentur, in re educatoriā agebatur de communi eruditione populi.⁹ Catholicae vero societates missionariae

4 Vicariātūs hic indicati, quibus praeerant Patres Albi et Patres Spiritus Sancti, erant tamen effectus alicuius progressūs temporalis.

5 «*Universities' Mission to Central Africa*» (UMCA). Haec societas condita est anno 1857° ab Anglicanis, qui pertinebant ad studiorum universitates Oxoniensem [*Oxford*], Cantuariensem [*Canterbury*], Dunelmensem [*Durham*] atque Dublinensem [*Dublin*]. Huius consociationis missionarii primum in Africam Orientalem vērērunt anno 1861°.

6 «*Church Mission Society*» (CMS). Condita erat anno 1799° in Angliā, quae multis in regionibus orbis terrarum operabatur, sed denique anno 1844° in Africam Orientalem pervēnit.

7 De variis Germanicis societatibus protestanticis *cfr* ex. gr. imprimis Johanna EGGERT: *Missionsschule und sozialer Wandel in Ostafrika. Der Beitrag der deutschen evangelischen Missionsgesellschaften zur Entwicklung des Schulwesens in Tanganyika. 1891-1939.* Bielefeld 1970, pp. 221 sqq.; etiam Frank DÖRNER: *Das Kolonialschulwesen in Deutsch-Ostafrika (DOA).* Bochum 1999, pp. 22 sqq. (opus magisterii ineditum).

8 De hōc totō conexū *cfr* ex. gr. George HORNSBY: *German Educational Achievement in East-Africa.* In: *Tanganyika Notes and Records* 62, 1964, p. 83; A.R. THOMPSON: *Historical survey.* In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), pp. 14 sqq.; Martin SCHLUNK: *Die Schulen für Eingeborene in den deutschen Schutzgebieten. Abhandlungen des Hamburgischen Kolonialinstituts.* XIII. Hamburg 1914, pp. 139 sq.; Joseph SCHMIDLIN: *Katholische Missionen (1913),* pp. 110 sq.

9 De hac re *cfr* imprimis Johanna EGGERT (1970), pp. 41 sq.; pp. 86 sq., quae etiam differentias inter singulas societates missionarias explicat. *Cfr* etiam ex. gr. A.R. THOMPSON: *Historical survey.* In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 20; J. CAMERON /

gentes sub aspectū individuali atque sociali ad Christianitatem adducere voluerunt, quā de causā scholae speciatim ad eruditionem Christianam spectabant (aliis rebus non exclusis). Cogitatio enim erat in eo, ut praesertim ab eruditione iuventutis esset incohandum, cum hunc in modum magna spes temporis futuri esset ad condiciones religiosas socialesque mutandas.¹⁰ Nihilominus eruditio realis saecularisque in operibus utriusque confessionis semper respiciebatur, cum aliter scopus generalis non ad finem opportunum adducendus esset. Itaque sub his aspectibus schola in rebus missionariis erat elementum fundamentale, in quod multi labores viresque imponebantur.

Etiamsi generaliter non ita facile erat systema quoddam educatorium scholareque instituere in regione, in quā educatio tradionalis magis vigeat atque tribūs indigenarum scholari modo Europaeo nondum assuefacti erant,¹¹ tamen missione extēntā decursū temporis structura quaedam in systemate missionario apparuit.¹² Nihilominus haec structura, quae quadamtenus communis dici potest, tantummodo spectabat ad modum scholarum instruendarum, cum uniformis modus educatorius institutionisque missionarius non exstaret - id quod revera etiam non erat expectandum.

Magnā ex parte stationes missionariae utriusque confessionis magis in interiore parte territorii condebantur. Inde ex talibus stationibus principalibus

W.A. DODD (1970), pp. 52 sqq.; Martin SCHLUNK: Das Schulwesen in den deutschen Schutzgebieten. Hamburg 1914, pp. 10 sq.; Juhani KOPONEN: Development for exploitation. German colonial policies in Mainland Tanzania, 1884-1914. Helsinki / Hamburg 1995, p. 503; Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch-Ostafrika 1890-1914. Berlin 1971, pp. 55 sq.

10 *Cfr.* ex. gr. Joseph SCHMIDLIN: Katholische Missionen (1913), pp. 48 sq.; Joseph SCHMIDLIN: Die Schule in der Mission. *In:* Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 27, 1937, p. 24; Friedrich SCHWAGER: Die Erziehungs- und Bildungstätigkeit der katholischen Missionen. *In:* Zeitschrift für Missionswissenschaft 3, 1913, p. 56; Laurenz KILGER: Zur Geschichte des Missionsschulwesens. *In:* Zeitschrift für Missionswissenschaft 13, 1923, p. 198; Johanna EGGERT (1970), pp. 86 sq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 20; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), pp. 52 sqq.; Juhani KOPONEN (1995), p. 503; Hans-Joachim NIESEL (1971), pp. 56 sq.; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), pp. 10 sq.

11 Vetus autem modus educandi modo parallelo mansit quōque validus, postquam paulatim scholae institutae sunt.

12 Nihilominus Martinus Schlunk, qui in scholares condiciones tempore suo vigentes inquisivit, adhuc anno 1914° compluries de rebus in statu nascendi scripsit et scholas missionarias et scholas regiminis respiciens. - *Cfr.* Martin SCHLUNK: Schulen für Eingeborene (1914), p. 142; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 39, p. 56.

plures stationes minores sive secundariae circumcirca instruebantur, ita ut decursū temporis rete quoddam stationum exortum sit.

Itaque scholae missionariae generaliter distingui possunt in scholas stationis atque scholas externas, quae in vicis circumcirca sitis inveniebantur. Pleraeque autem scholae erant elementariae, quae dicuntur. Tamen in scholis stationum principalium etiam discipuli iam aliquatenus progressi atque meliore indole praediti docebantur, qui interdum ex locis magis distantibus acciti sunt. Itaque nonnullis in stationibus principalibus etiam oecotrophēa¹³ exstabant.¹⁴ Nihilominus illa retia scholarum exterarum consulto instruebantur, quia hunc in modum tota regio quam plurimis scholis obduci potuit atque plures iuvenes ad eruditionem quandam attrahi potuerunt, cum in eorum propinquo schola quaedam esset. Tamen diversitas satis magna inter singulas scholas exstabat, cum non unusquisque «locus educatorius» sensū strictissimo «schola» appellari potuit.

Postquam Imperium Germanicum responsalitem publicam pro «regione tutelari» Africae Orientalis anno 1891^o demum officialiter susceperat, videtur cogitatio de scholis publicis sive de scholis regiminis instituendis satis celeriter exorta esse. Ex causis rationalibus tale inceptum satis intellegibile est, quamquam in Africa Orientali multae scholae missionariae iam operabantur. Nam coloniā institutā hōc amplissimum territorium administrandum, oeconomicè promovendum atque magis ad civitatem «maternam» adaptandum erat. Cum autem ad omnia officia explenda numerus officialium Germanorum omnino non sufficeret, Germani responsales putaverunt utile atque necessarium esse, ut Africani ad talia officia explenda adhiberentur. Tamen solum officia inferiora atque intermedia vērunt in quaestionem. Quia vero Africani, qui talia munera suscepturi erant, specialiter erant erudiendi, scholae publicae erant condendae. Nam - ut responsales existimaverunt - scholae missionariae id, quod exspectabatur, efficaciter praestare non valuerunt. Alius autem aspectus, cur scholae missionariae non viderentur opportunae, ut consilia regiminis sustentarent, erat in eo, quod regimen in initio imprimis ex incolarum strato Islamico cooperatores ad imperium coloniale stabiliendum accire voluit, cum muslimi iam partes maioris momenti agerent.

13 oecotrophēm, -ī n.: *Internat.* - Cfr Christian HELFER: *Lexicon Auxiliare*. Saarbrücken 1991, p. 288.

14 Cfr ex. gr. Joseph SCHMIDLIN: *Katholische Missionen* (1913), pp. 42 sqq.; A.R. THOMPSON: *Historical survey*. In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), pp. 17 sq., p. 28; Juhani KOPONEN (1995), p. 504, p. 520; Hans-Joachim NIESEL (1971), pp. 164 sq.

Scholae vero missionariae illis Africanis non esse attractivae iure putabantur. Itaque tales scholas publicas etiam sine ullā institutione religiosā fore decernebatur.¹⁵

Generales autem scopi scholae regiminis erant hi: imprimis erudiendi erant Africani cooperatores atque officiales inferiores, qui sive in administratione publicā operarentur ut interpretes, auxiliares administratorii, collectores tributorum, munere cursuali atque teloniali fungentes (et sic porro) sive apud possessores praediorum laborarent, ubi eis opera tradita sunt, ad quae facultates legendi scribendique necessariae erant. Unā ex parte hunc in modum homines minore eruditione praediti efficiebantur, qui multo minore pecuniā operabantur quam Europaei, id quod utile erat pro aerario coloniae, quod pecuniā semper carebat. Alterā ex parte tali eruditione publicā régime stratum quoddam sociale intermedium Africanorum fingere voluit, qui deinde essent mediatores inter Germanos atque reliquum populum. Ut illud stratum sociale esset satis stabile, alius finis institutionum scholarium erat scientia quaedam linguae Theodiscae et etiam notitia morum Germanorum atque patriotismus quidam Germanicus. Nihilominus res maximi momenti erat eruditio ad utilitatem practicam discipulorum.¹⁶

15 Iam primus gubernator* Germanicae Africae Orientalis Iulius von Soden anno 1891°, antequam prima schola regiminis condita erat, hōc constituerat. Omnes autem successores eius hōc decretum sequebantur atque idem servaverunt. - De hac re *cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 14; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.): Studien zur Geschichte des deutschen Kolonialismus in Afrika. Pfaffenweiler 1995, p. 62, p. 68; Wolfgang MEHNERT: Regierungs- und Missionschulen in der deutschen Kolonialpolitik (1885-1914). In: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 256; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 56; George HORNSBY: Educational Achievement. In: Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 84; Juhani KOPONEN (1995), p. 502.

*) gubernator, -oris *m.*: *Gouverneur*. - *Cfr* René HOVEN: Lexique de la prose latine de la Renaissance / Dictionary of Renaissance Latin from prose sources. Leiden / Boston 2006, p. 237; Antonius BARTAL: Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis Regni Hungarici. Hildeheim / New York 1970, p. 300.

16 De scopis harum scholarum publicarum *cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 14; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 85; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 75; Johanna EGGERT (1970), p. 80; Hans-Joachim NIESEL (1971), p. 166; Bernhard MIRTSCHINK: Zur Rolle christlicher Mission in kolonialen Gesellschaften. Frankfurt/M 1980, p. 79; A.R. THOMPSON: Historical survey. In: Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), p. 20; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 55 sq.; George HORNSBY: Educational Achievement. In: Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 84; Juhani KOPONEN (1995), p. 518; Anton

Ex his propositis factum est, ut prima schola regiminis, quae dicitur, mense Decembri a. 1892¹ in oppido Tanga in regione litorali sito condebatur.¹⁷ Haec schola instituebatur a Christiano G. Barth, Germano magistro scholae elementariae, qui ad hoc munus exanclandum in Africam Orientalem accitus erat. Schola vero publica in oppido Tanga fundata in initio progressum non nimis magnum ostendit. Nam unā ex parte erat res nova, alterā ex parte videntur muslimi regionis litoralis, quorum iuvenes talem scholam frequenter exspectabantur, primo rei non confisi esse, cum sollicitationem religiosam timerent. Nihilominus haec schola in oppido Tanga sita decursū temporis hōc in conexū maximi momenti facta est. Hōc verisimiliter etiam cohaerebat cum mutatione praepositi, quia anno 1895^o Christianum Barth secutus est Paulus Blank. Idem vero inter annos 1895^{um} et 1911^{um} systema scholarum publicarum auxit extenditque.¹⁸

Nam iam anno 1895^o conditae sunt scholae publicae in oppidis Bagamoyo atque Daressalam, usque in annum 1900^{um} in oppidis Kilwa et Lindi tales scholae exortae sunt, anno 1903^o in oppido Pangani, deinde etiam aliis locis. Ab his scholis principalibus plures scholae minores circumcirca conditae

MARKMILLER: «Die Erziehung des Negers zur Arbeit». Wie koloniale Pädagogik afrikanische Gesellschaften in die Abhängigkeit führte. Berlin 1995, p. 130. - Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT: Deutsche Missions- und Kolonialpädagogik in Dokumenten. Eine kommentierte Quellensammlung aus den Afrikabeständen deutschsprachiger Archive 1884-1914, Frankfurt/M 2001, p. 37 existimant proprietatem et scholarum regiminis et scholarum missionariorum in eo fuisse, quod illis minimis elementis eruditionis modernae, quam eadem paucis Africanis praebebant, abusus indigenarum atque apparatus publicus vili modo operandus instituebantur. Tamen hōc iudiciō mihi videtur fundamentalis differentia inter scholas publicas et scholas missionarias non satis respici.

17 Huiusmodi instituta sustentabantur ab gubernio, cuius administrationem inde ab anno 1890^o Sectio Colonialis ministerii rerum exterarum curabat, quae Sectio anno 1907^o mutata est in Imperiale Grapheum Coloniale, cui praeerat secretarius quidam statalis. Huic Sectioni sive Grapheo directe subditi erant gubernatores coloniarum. Illi gubernatores in ipsā coloniā praeerant toti administrationi militari civilique, quā de causā eis etiam in rebus scholaribus coloniae (id est quoad scholas publicas) ius praecipendi atque inspiciendi erat.

18 De scholis publicis conditis earumque systemate externo *cf.* ex. gr. Juhani KOPONEN (1995), p. 506; George HORNSBY: Educational Achievement. *In:* Tanganyika Notes and Records 62, 1964, pp. 84 sqq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTFELD (ed.) (1976), p. 21; Wolfgang MEHNERT: Regierungs- und Missionsschulen. *In:* Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 256; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. *In:* Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 62; Johanna EGGERT (1970), p. 79; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 36.

dependebant.

Ut ex hac brevi descriptione apparet, systema externum erat quadamtenus idem ac in scholis missionariis. Tamen per totum temporis spatium coloniae Germanicae in Africā Orientali scholae missionariae quoad numerum scholarum et quoad numerum discipulorum praeponderabant, quā de causā societates missionariae de maiore parte institutionum scholarium responsales erant. Haec condicio etiam apparet ex statisticā, quae anno 1911^o (ergo paucis annis ante finem coloniae Germanicae) in Africā exarata est.¹⁹ Inde comperitur illo tempore in Germanicā Africā Orientali exstitisse duodeoctoginta regiminis scholas elementarias cum 3494 discipulis, duas scholas altiores cum 681 discipulis atque tres opificum scholas cum 137 alumnis. Missionariarum societatum catholicarum 363 scholae elementariae numerabantur, quas 31274 discipuli frequentabant, scholae altiores exstabant undecim cum 724 discipulis et praeterea erant quinque instituta eruditionis practicae, quibus erant 61 alumni. Similiter missionariae societates protestanticae 512 scholas elementarias habebant, quibus erant 29716 discipuli, praeterea duodeviginti scholae altiores erant, quas 472 discipuli frequentabant, et novem instituta eruditionis practicae cum 88 alumnis.²⁰ Hi numeri - etiamsi quadamtenus cum grano

19 Hanc statisticam exhibuit atque interpretatus est Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), interpretationem affert etiam in opere, q.e. Martin SCHLUNK: *Schulwesen* (1914).

Tamen contra tales statisticas, quibus inquiritur in condiciones scholares, quae in coloniis vigeant, saepius iam adnotationes criticae prolatae sunt. Sed Christel ADICK: *Bildungsstatistiken zum deutschen kolonialen Schulwesen und ihre Interpretation*. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), pp. 21 sqq. specialiter in hanc quaestionem incumbit et problema generaliter respiciens et specialiter investigationem Martini Schlunk scientifice diiudicans. Anno enim 1911^o folia interrogatoria in omnibus scholis Germanicarum coloniarum Africanarum distributa sunt, quibus quaestiones de variis aspectibus condicionibusque ponebantur, velut de numero atque genere scholarum, de numero discipulorum, de magistris etc. Ipse Martinus Schlunk iam adnotavit in singulis foliis interdum menda computandi inveniri vel etiam responsa nonnumquam esse manca, quā de causā in iudiciis componendis atque in interpretatione difficultates exoriri potuerunt (*cf.* Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), pp. V sqq.). Rebus diligenter inspectis Christel Adick putat de validitate inquisitionis non esse dubitandum, cum praeter ipsos numeros illā in conquisitione etiam de «qualitate» interrogatum sit.

20 De his numeris atque de condicione generali *cf.* ex. gr. Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), p. 140; Martin SCHLUNK: *Schulwesen* (1914), p. 34; A.R. THOMPSON: *Historical survey*. In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 21; George HORNSBY: *Educational Achievement*. In: *Tanganyika Notes and Records* 62, 1964, pp. 86 sq.; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 55; Franz ANSPRENGER: *Schulpolitik in Deutsch-*

salis sunt sumendi - per se loquuntur. Tamen ex scopo generali, quod régime scholis publicis assequi voluit, etiam intellegitur easdem non ad eruditionem multitudinis spectavisse, sed tantummodo ad relative paucos Africanos.

Ut vidimus, sic duo systemata educatoria sunt exorta, nempe missionarium atque publicum. Quae systemata ab initio parum inter se tangebantur. Tamen relationes inter régime atque societates missionarias propter quaestionem educatoriam non erant optimae, cum invicem opprobria - plus minusve valida - proferrentur.²¹ Ut facile imaginari possumus, factum, quod scholae regiminis sine institutione religiosā erant, generaliter atque fundamentaliter societatibus missionariis utriusque confessionis plurimum displicuit. Cum revera illas scholas publicas, quia imprimis in regione litorali magnā ex parte a muslimis inhabitatā sitae erant, plurimi muslimi frequentarent, qui scholā absolutā deinde ut officiales inferiores toto in territorio operabantur, societates missionariae scholis publicis opprobrio dederunt eas hunc in modum religionem Islamicam propagare eiusque progressui favere.²² Alterā ex parte secundum sententiam regiminis qualitas scholarum missionariorum sub variis aspectibus erat manca, et régime aegre tulit societates missionarias nullos iuvenes mittere, qui scholā transactā munus publicum suscipere valerent,²³ atque missionibus opprobrio dedit eas iuvenes tantummodo ad usum proprium erudire.²⁴ Itaque videntur et officiales et magistri scholarum publica-

Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 60.

- 21 De his difficultatibus *cf.* ex. gr. Juhani KOPONEN (1995), p. 507; George HORNSBY: Educational Achievment. In: Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 84; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 56; Anthony SMITH: Missionary contribution. In: Tanganyika Notes and Records 60, 1963, pp. 106 sq.; Wolfgang MEHNERT: Regierungs- und Missionsschulen. In: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 262; Johanna EGGERT (1970), pp. 69 sqq.; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), pp. 66 sqq.; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 114; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 40.
- 22 George HORNSBY: Educational Achievment. In: Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 84 putat hoc opprobrium ex effectū rei non omnino falsum fuisse.
- 23 Hoc problema diu mansit validum. - *Cf.* ex. gr. epistula gubernatoris Africae Orientalis die 31 m. Ian. a. 1914 ad secretarium statalem Vilelhum Solf directa, ubi de hac re queritur. - Hoc documentum ediderunt Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 220.
- 24 Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 74 sententiam affert, quae ex epistolā graphēi regionalis in oppido Tanga siti die 6 m. Ian. a. 1914 datā deprompta est, ubi leguntur haec: «*Societatis*

rum numquam revera scholas missionarias ut sibi aequales agnoscere valuisse et voluisse.

Sed hae dissensiones, imprimis quaestio de muslimis atque religione Islamicā promotis, etiam in disputationibus, quae in patriis Comitiiis Germanicis habebantur, tractabantur et mense Februario a. 1900ⁱ ad consultum quoddam adduxerunt.²⁵ Ibīdem rogabatur, ut officiales inferiores administrationis colonialis etiam essent indigenae Christiani et ubi sub hōc aspectū in Africanis scholis publicis sodales quōque societatum missionariarum docerent.²⁶ Illa duo puncta tamen - ut antea vidimus - cohaerent.²⁷

Inceptum, quo cooperatio quaedam inter missionem atque régimen initiaretur, dodrante anno post consultum Comitiorum suscipiebatur, nempe «Conventio Benedictinorum», quae dicitur.²⁸ Tamen num fuerit «conventio» stricte dicta vel potius «protocollum consultationum», deliberandum est. Nam die 16^o m. Nov. a. 1900^o ut sequela consulti commemorati Dr Francisus [Franz] Stuhlmann, qui illo tempore erat gubernator vicegerens Germanicae Africae Orientalis, cum P.re Mauro Hartmann OSB, Praefecto Apostolico Praefecturae Zanguebariensis Meridionalis,²⁹ colloquia instituit, quorum effectus erat «Conventio Benedictinorum» die 23^o m. Nov. a. 1900^o

communitas universa ex opere scholari missionis interim nullam utilitatem capit.» - Textus originaliter Theodiscus.

- 25 Fusius in has disputationes Comitiorum incumbit ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 69 sqq., quae etiam existimat has disputationes scientiā condicionum localium caruisse et consultum commemoratum magnā ex parte in oblivionem venisse. - De hōc themate *cfr* quōque Hans-Joachim NIESEL (1971), pp. 168 sq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. In: Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), p. 21; Juhani KOPONEN (1995), p. 507.
- 26 Praeterea hōc in conexū rogabatur, ut in scholis praeter linguam regionalem tantummodo lingua Theodisca doceretur. - De hōc themate specialiter *cfr* infra cap. 4.12.2.2.
- 27 Num illa postulata cum veris desideriis variarum societatum missionariarum, id est missionariorum in ipso loco operantium, congruere potuerint, paulum addubitandum est.
- 28 Fusius de hac «conventionē» *cfr* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 84 sqq.; Hans-Joachim NIESEL (1971), pp. 169 sqq. - In hoc thema brevius incumbunt Juhani KOPONEN (1995), pp. 509 sq.; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), pp. 74 sq.; Rainer TETZLAFF: Die Mission im Spannungsfeld zwischen kolonialer Herrschaftssicherung und Zivilisierungsanspruch in Deutsch-Ostafrika. In: Klaus J. BADE (ed.): Imperialismus und Kolonialmission. Wiesbaden 1982, p. 197.
- 29 Juhani KOPONEN (1995), p. 509 P.rem Maurum Hartmann falso appellat episcopum.

data.³⁰

Praeter alia in illo protocollo leguntur haec: missio Benedictina agnoscit postulatum, quo specialis eruditio officialium Africanorum necessaria est, esse iustum et scholas missionarias talem eruditionem usque tunc non praebere. Itaque Benedictini in scholis suis curriculum suum ampliari atque adaptare et sic alumnos erudire volunt, qui postulatis regiminis quoad officiales suos sunt pares, cum discipulis suis missionariis possibilitates in munere



A sinistris episcopus Aemilius Augustus Allgeyer CSSp, a dextris P. Amandus Acker CSSp. [Joseph SCHMIDLIN: Katholische Missionen (1913), p.7.]

progreendi praebere velint et imprimis desiderent, ne vici Christiani ab officialibus inferioribus non-Christianis administrantur.³¹ Régimen autem ex parte suā occasionem praebet, quā missionarii in scholis publicis stationum civilium institutionem religiosam exhibere possunt. Praeterea régime promittit se in stationibus suis, in quibus schola quaedam nondum exstat et in quarum propinquo scholae missionariae iam sunt,³² scholas non esse conditurum, si scholae missionariae obligati se sentiunt curriculum suum scholis publicis adaptare atque alumnos eruditos regioni ut officiales inferiores promptos praebere. Denique régime paratum est scholis missionariis materias docendi gratuito exhibere.

Cum argumenta huius «protocollis» ab Sectione Coloniali ministerii rerum ex-

30 Johanna EGGERT (1970), pp. 308 sq. textum huius «conventionis» exhibet.

31 Praeterea régime postulat, si officiales Christiani in propinquo stationum missionarum munere funguntur, ut iidem tantummodo voluntatem regiminis sequantur et missiones diligenter vitent speciem, quā sensū politico vel religioso priores alumnos dirigere velint.

32 Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VANDER HEYDEN (edd.) (1995), p. 75 falso scribit régime nonnullis scholis suis claudendis assensum esse, si quae aemulatio cum scholis missionariis esset. Sed revera agitur de scholis non condendis, si scholae missionariae in propinquo essent et ab eisdem quaedam condiciones observarentur.

terarum probarentur, putabatur haec «conventio» fieri posse fundamentum similium «conventionum», quae cum aliis societatibus missionariis inirentur. Episcopus Aemilius Augustus [*Emil August*] Allgeyer, qui Vicariatus Apostolico Zanguebariae Septentrionalis ad Patres Spiritus Sancti pertinenti praerat, generalem assensionem quidem significavit, sed aliis missionibus catholicis hac re opus non esse videbatur et protestanticis societatibus missionariis, quae ceteroquin neque suo Marte neque summatim de propositis decernere valuerunt, argumenta non apta et contra scopos suos generales erant.

Itaque «protocollum» cum Benedictinis factum erat quidem conamen quoddam cooperandi, sed cum esset «conventio» quadamtenus privata atque nulla alia societas missionaria hac re obligata esset, totum inceptum nullum effectum exseruit in cooperationem inter régime et missiones.³³

Sed convertamus nunc ad quasdam scholarum structuras internas breviter inspiciendas. Primo aliquid dicendum est de discipulis atque de modo, quo scholae erant ordinatae. Quod attinet ad discipulos, in scholas missionarias omnes, qui vērunt, recepti sunt atque strata quōque socialia, ex quibus discipuli exoriundi erant, non sunt respecta, cum unus ex scholarum scopis fuisset, quo ipsi populo eruditionem quandam necessariam tradere voluerunt. Scilicet plerique discipuli in initio erant pagani et multi etiam pagani manserunt. Diversitas praeterea maior erat, quia aetas alumnorum valde differebat. Nam non solum parvuli atque iuvenes in classibus sedebant, sed interdum unā cum eis adulti quōque.

Magni autem momenti est in scholis missionariis utriusque confessionis etiam puellas esse eruditas. Haec erat differentia in comparatione scholarum publicarum, cum ibidem puellae omnino non sunt admissae.³⁴ Ad scholas vero regiminis acciti solum sunt pueri et hi quidem praesertim tales, qui erant

33 A.R. THOMPSON: Historical survey. In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 24 et Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), pp. 74 sq. scribunt anno 1900° conventionem scholarem inter régime et missiones initam esse. Cum «missiones» modo plurali adhibeant, rei non convenit. Franciscus Ansprenger insuper scribit hanc conventionem fuisse «victoriam missionis». Haec existimatio tamen neque ex condicionibus historicis neque ex argumentis «protocollis» neque ex effectu vero bene intellegitur.

34 Cum scholae regiminis unilateraliter ad eruditionem officialium inferiorum spectarent, puellae non erant «utiles», quia talibus muneribus fungentes in humanā societate traditionali mulieres non agnoscebantur.

filiū principum tribuum vel cum principibus cognati, id est pueri praeferendi esse videbantur, qui iam ex stratis superioribus indigenarum exoriundi erant.³⁵

Cum inspicimus scholarum structuram internam, videmus nihil omnino generale dici posse. Nam in singulis scholis omnia dependebant ab condicionibus circumcirca vigentibus.³⁶ Cum agatur de institutione in principalibus stationibus missionariis exhibitā, praevisi erant cursūs duorum usque ad quattuor annorum, qui tamen usque ad septem, immo decem annos extendi potuerunt. In scholis secundariis externisque putabantur cursūs unius usque ad quattuor annos esse sufficientes, plerumque vero ibīdem cursūs non ultra unum duosque annos extendebantur. Etiam in scholis regiminis differentiae animadvertebantur, quamquam inde ex anno 1904^o regulae officiales exstabant, quibus dicebatur materias discendi in scholis secundariis intra tres annos tradendas esse, in scholis principalibus vero eadem materiae in duabus classibus inferioribus tradendae erant, quas deinde duae classes intermediae atque duae classes superiores sequebantur.

Similiter omnino diversae condiciones inveniebantur in frequentia institutionum exhibitarum. Numeri intermedii horarum institutionis in scholis elementariis videntur quinque dies septimanatim cum ternis horis institutionis fuisse, in scholis vero altioribus praebebantur quaternae horae usque septem horae inter quinque atque sex dies septimanatim.³⁷

Haec omnia cohaerebant cum quaestione, quam saepe discipuli scholam

35 De aspectū discipulorum *Cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 27; Martin SCHLUNK: Schulen für Eingeborene (1914), pp. 167 sq.; Juhani KOPONEN (1995), p. 523; Johanna EGGERT (1970), p. 80; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. *In*: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 63; George HORNSBY: Educational Achievment. *In*: Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 88; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 57; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 23; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, p. 253.

36 De annis eruditionis, de copia classium, de frequentia institutionum similiumque rerum *cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulen für Eingeborene (1914), p. 142, pp. 146 sq., pp. 158 sq., pp. 160 sq.; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 27; Juhani KOPONEN (1995), pp. 520 sq.; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. *In*: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 65.

37 Cum vero scholae omnino varii progressūs invenirentur, erant etiam «scholae», in quibus semel vel bis in mense institutiones praebebantur, et multi gradūs alii usque ad intermediam regulam commemoratam animadvertebantur.

frequentarent et utrum usque ad finem perseverarent, id quod praeter alia etiam effectum ad qualitatem eruditionis exseruit. Inquisitionibus evēnit illo spatio temporis, de quo hic agitur, inter duodeviginti atque septuaginta quinque centesimas discipulorum scholam regulariter frequentavisse.³⁸ In scholis secundariis remotis scilicet fluctuatio maior erat, sed discipuli, qui in oecotrophēis vixērunt, plerumque omnes ad institutiones vērunt.³⁹ Causae autem huius condicionis erant variae, ex quibus maioris momenti erant hi: iuvenes ad institutiones non vērunt, quia in agris familiae vel in latifundiis Germanorum operari debuerunt; aliud problema erat in eo, quod multis principibus tribuum schola non intererat et itaque pueros non miserunt; praeterea saepe magna distantia inter locum habitandi atque scholam erat obstaculo; denique modus quorundam officialium regiminis respiciendus est, qui numquam iuvenes ad scholam frequentandam adhortati sunt, et desideria possessorum latifundiorum, quorum vilibus laboribus iuvenum abuti intererat, effectum exseruerunt.

Quaestio autem nunc est, quae fuerint materiae, quae illis in scholis docebantur.⁴⁰ Primo dicendum est nullo modo curriculum commune exstitisse, neque inter scholas missionarias atque scholas publicas neque inter scholas singulorum societatum missionariarum. Commune tamen erat magistros in scholis missionariis elementa fundamentalia eruditionis - interdum simplicissimo

38 Videntur discipuli scholarum publicarum magis regulariter ad scholam venisse, id quod verisimiliter etiam cohaerebat cum bono prospectu temporis futuri, nempe munus publicum accipiendi.

39 Hanc condicionem, quā numerus discipulorum praesentium maxime variabat, difficilem fuisse, quod attinet ad efficacitatem institutionis, bene intellegitur. Itaque responsales et scholae publicae et scholae missionariae interdum de coercitione quādam cogitaverunt, quā iuvenes ad scholam traherentur. Hōc in conexū plures possibilitates plus minusve vehementes excogitari potuerunt. Quamvis officialiter talis coercitio exstitisse non videretur, tamen nonnumquam ab singulis adhibita est.

40 De hac re *cfr.* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulen für Eingeborene (1914), pp. 142 sqq.; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 21, p. 52, pp. 107 sqq.; Wolfgang MEHNERT: Regierungs- und Missionsschulen. In: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 263; A.R. THOMPSON: Historical survey. In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), pp. 19 sqq.; Franz ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 65, pp. 78 sq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 143 sq., pp. 337 sqq.; Jürgen BECHER / Katrin BROMBER / Andreas ECKART: Erziehung und Disziplinierung in Tansania. In: Dietmar ROTHERMUND (ed.): Aneignung und Selbstbehauptung. Antworten auf die europäische Expansion. München 1999, p. 307 sqq.

modo - ponere conatos esse, id est legere, scribere, computare, cantare. Scilicet instructio religiosa erat magni momenti.⁴¹ Nihilominus inter singulas scholas et inter singula genera scholarum differentiae exstabant, quod attinet ad numerum disciplinarum, quae docebantur (cum non ubique omnia tractarentur), et quod attinet ad numerum horarum, quae singulis in disciplinis adhibebantur. In scholis altioribus generaliter eadem disciplinae docebantur, sed modo aliquatenus amplificato, et praeterea aliae disciplinae accedere potuerunt velut geographia, delineatio, doctrina rerum naturalium et similia. Africanae autem scholae publicae curriculum scholarum elementariarum Germanicarum sequebantur. Itaque ibidem generaliter eadem disciplinae fundamentales docebantur ac in scholis missionariis. Tamen in huiusmodi scholis structura interna cursuum magis exarata erat et in classibus superioribus praeterea accessit instructio scientiae, quae ad munus futurum officium inferiorum pertinebat.⁴²

Sed multis in scholis et missionariis et publicis - tamen non in omnibus - pars «curriculi» erat instructio practica.⁴³ Talibus in institutionibus discipuli varia in munera variosque in labores introducti sunt etiam ipsi operantes.⁴⁴ Tamen ea, quae praebebantur, in singulis scholis variebantur et copia quoque rerum,

41 Scitū dignum est Martinum Schlunk compluribus locis asseverare scholas missionarias non fuisse imprimis locos ad Christianitatem convertendi. - *Cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), p. 168; Martin SCHLUNK: *Schulwesen* (1914), p. 20.

42 Cum officiales regiminis semper questi sint ab scholis missionariis nullos vel vix ullos alumnos ad munera publica bene apteque eruditos praeberi, scitū digna est sententia Martini SCHLUNK: *Schulwesen* (1914), p. 21, quā dixit momentum educatorium in scholis missionariis esse magnum et missiones idem solum exercere posse, si earum curriculum nihil imponeretur, quod eis esset alienum. Tale vero periculum imminere, simulatque indigentia crescens eruditionis specialis officialium regiminis inferiorum responsales publicos adduceret, ut huiusmodi eruditionem nimii momenti esse putarent educationem indolis neglegentes.

43 Saepe sermo est de «educatione ad laborem sive ad laborandum». Tamen hōc in conexū de «institutione practicā» sive de «eruditione practicā» loqui praefero. Nam «educatio ad laborandum», quamquam revera adhibita est, aspectum quoque ideologicum habet et significat Africanos «esse educandos, ut revera laborare velint», id quod saepe ad Africanorum coactivum usum (sive abusum) in laboribus publicis sive in praediis Germanorum duxit. «Institutio practica» e contrario pertinet ad instructionem scholarem, quā discipuli fundamenta munerum quorundam addiscunt. Tamen illo tempore, de quo agitur, «eruditio ad laborandum» utrāque significatione adhibebatur.

44 In Africā Orientali etiam exstabant nonnullae scholae speciales agriculturae atque opificii, quae et ab regimine et ab societatibus missionariis utriusque confessionis administrabantur.

quae exhibebantur, differebat.

Magni autem momenti erant magistri, qui in singulis scholis docebant et quibuscum hominibus totus effectus scholarum cohaerebat.⁴⁵ Nam unaquaeque schola sive unaquaeque institutio solum tam bona est quam eius magistri. Inter scholas publicas et scholas missionarias denuo differentiae, sed etiam similitudines inveniuntur. Regiminis scholis praeerant ipsi Germani magistri, quibus specialis eruditio magisterii scholarum elementarum erat (sed solum erant paucissimi magistri huius generis), scholis missionariis praeerant ipsi Europaei missionarii (sive Germani sive alterius nationis), qui tamen in initio magistri specialiter eruditi non erant. Nihilominus decursu temporis, cum necessitas animadverteretur, hac in re in societatibus quoque missionariis mutatio quaedam evēnit. Sed etiam alius aspectus hōc in conexū respiciendus est. Uti iam commemoratum est, rete scholarum et principalium et secundarum paulatim exstructum est. Tamen ad tot scholas sustentandas numerus Europaeorum, qui institutiones praebere potuerunt, non sufficiebat. Itaque celeriter intellegebatur adiutores Africanos esse omnino necessarios, qui munere magistrorum fungi valerent. Sic factum est, ut numerus magistrorum Africanorum multo maior erat quam numerus magistrorum Europaeorum, quibus tamen vis dirigendi atque ius inspiciendi erat. Nam quamquam momentum magistrorum Africanorum satis magnum erat, cum praesertim omnes scholas secundarias sustentarent, etiam apud illos scientia atque eruditio maxime differentes erant. Necessitate coacti Europaei munus magistri partim Africanis (interdum satis iuvenilibus) tradiderunt, qui scholā elementariā vix superatā non multo plura sciverunt quam discipuli sui. Tamen decursu temporis deinde etiam exstabant instituta sive cursūs speciales, quibus Africani magistri futuri instruebantur et ubi praeter alia aliquid paedagogiae atque methodologiae docebatur. Nihilominus inde intellegitur imprimis in singulis simplicibus scholis secundariis magnam differentiam qualitatis viguisse.

Propter has omnes diversitates problemataque modo relata difficulter quidem diiudicari posse videtur, quid scholae Africae Orientalis tempore coloniae

45 De magistris *cf.* ex. gr. Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), p. 140; Martin SCHLUNK: *Schulwesen* (1914), p. 45; A.R. THOMPSON: *Historical survey*. In: Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), p. 18; Juhani KOPONEN (1995), p. 521; Hans-Joachim NIESEL (1971), pp. 165 sq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 371 sqq.

Germanicae valuerint.⁴⁶ Opiniones vero hac in re diversimodae inveniuntur. Tamen fundamentum quoddam positum est, quod, quamvis defectūs atque condiciones mancas haberet, aliquatenus efficax fuisse videtur. Africanos in initio reservationes quasdam contra scholas, quin etiam partim sensūs infestos habuisse bene intellegitur, cum Europaea perceptio educatoria scholarisque adversaria esset eorum traditionali educationi tribali et etiam sequelas sociales haberet.⁴⁷ Sed decursū temporis - imprimis ultimis annis coloniae Germanicae - Africani scholam magis magisque acceperunt atque rogaverunt, ut hoc systema magis extenderetur, cum praesertim homines iuniores scholam positive perceperunt. Sic numerus quoque discipulorum celeriter auctus est.

Cum primum bellum mundanum in Africā quoque Orientali vigeret, etiam systema scholare ibidem magna ex parte corrui (imprimis scholarum publicarum). Multae scholae propter actiones bellicas, populationes, pecuniam deficientem atque mancam intentionem incolarum magistrorumque collapsae erant. Tamen satis magnus numerus scholarum missionariarum quadamtenus supervixit, quia magistri Africani, quamvis malae condiciones vigerent, illō spatiō temporis suā sponte atque suo Marte illas scholas sustentaverunt.

Bello finito prior colonia Germanicae Africae Orientalis ut mandatum Confoederationis Nationum Anglis tradita est,⁴⁸ quae deinde Tanganyikae Territorium⁴⁹ appellabatur. Quid autem inde ex hōc tempore de quaestione schola-

46 De hōc themate atque de quaestione perceptionis Africanorum *cfr* ex. gr. Martin SCHLUNK: *Schulen für Eingeborene* (1914), p. 156; Martin SCHLUNK: *Schulwesen* (1914), p. 17; Antony SMITH: *Missionary contribution*. In: *Tanganyika Notes and Records* 60, 1963, p. 101; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 54, p. 57; Horst GRÜNDER (1982), p. 249; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 145; A.R. THOMPSON: *Historical survey*. In: Allan J. GOTTFREID (ed.) (1976), p. 20; Juhani KOPONEN (1995), p. 516; George HORNSBY: *Educational Achievement*. In: *Tanganyika Notes and Records* 62, 1964, p. 89; Franz ANSPRENGER: *Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika*. In: Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1995), p. 89; Horst GRÜNDER: *Geschichte der deutschen Kolonien*. Paderborn / München / Wien / Zürich ⁵2004, p. 168.

47 Tamen haec aversio non erat communis, sed agnitio scholae semper dependebat ab agnitione singulorum principum tribuum et etiam ab hominibus individuīs, qui in hac re emolumentum videbant.

48 Partes, quae erant Ruanda et Burundi, ad Belgium pervēnerunt.

49 *Tanganyika Territory*.

ri?⁵⁰

Primus gubernator Anglus, Horatius [*Horace*] Byatt, qui inde ex anno 1920^o hōc munere functus est,⁵¹ praeter multa alia etiam in quaestionem scholarem incumbere debuit, quae tamen ei cura principalis non fuisse videtur. Primo enim agebatur de publicā administratione satis bene operante instituendā. Quod attinet ad rem educatorem, Horatius Byatt quadamtenus politicam Germanicam continuavit, id est systema quoddam publicum curavit, quo scholae missionariae neglegebantur neque ullum auxilium acceperunt.⁵² Nihilominus scholas missionarias abolere noluit, quamvis critice eas aspiceret. Tamen putavit educationem esse nimis magni momenti, ut eadem institutionibus privatis, ad quas missiones pertinebant, relinqui posset.

Sed mutatio facta est, cum anno 1925^o Donaldus [*Donald*] Cameron gubernator Horatium Byatt secutus est. Eidem enim res educatoria magis cordi fuisse videtur quam praedecessori. Insuper centrale régime Londiniense mancam coordinationem rei educatorem in territorio Tanganyikae animadvererat. Inde ergo novae deliberationes exortae sunt. Nam secundum perceptionem Donaldi Cameron scholae debuerunt esse instrumentum illius scopi generalis, qui dicebatur «imperium indirectum» sive «administratio indigenarum»⁵³ et quo praevisum erat regendi structuras traditionales adhibere, ut mandata administrationis alienigenae ad effectum adducerentur. Cum vero illis, qui intra structuram traditionalem statum regendi habebant, nempe principes tribuum atque seniores, ad novum genus administrativum scientia scholaris atque scientia linguarum necessaria esset, quam illo temporis momento magnā ex parte nondum habuerunt, eis secundum consilia regiminis secretarii indigenae iam eruditi adiungerentur, usque dum eorum filii in scholis specialibus

50 De condicionibus eventibusque huius spatii temporis *cf.* ex. gr. Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 233 sqq.; Johanna EGGERT (1970), pp. 197 sqq.; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), pp. 58 sqq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), pp. 27 sqq.

51 Idem inter annos 1916^{um} et 1920^{um} munere administratoris territorii functus erat.

52 Ut Johanna EGGERT (1970), p. 198 et A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), p. 27 adnotant, administratio Anglica in Territorio Tanganyikae celeriter erigi potuit, cum Africani satis bene eruditi hac in re auxilium ferre valerent. Responsales hunc effectum imprimis publicis scholis Germanicis attribuerunt, quamvis ex parte quādam etiam pristini magistri Africani scholarum missionarum administrationem sustentavissent.

53 «*indirect rule*»; «*native administration*».

ad tale munus educati erant.⁵⁴ Praeterea régime pro centrali apparatū suo administratorio adiutoribus Africanis indigebat. Similiter negotiatoribus, possessoribus praediorum similibusque hominibus tales Africani specialiter eruditi necessarii erant.⁵⁵ Huiusmodi indigentis scholae publicae instituendae dirigebantur.⁵⁶

Progressus autem verus in Africanā re educatoriā factus est, cum Donaldus Cameron autumnō a. 1925ⁱ, non diu postquam munus gubernatoris suscepit, conventum inter officiales regiminis atque repraesentantes omnium societatum missionariarum in Territorio Tanganyikae operantium in oppido Daresalam instituit. Ibīdem memorandum⁵⁷ anno 1923^o exaratum de «politiciā educatoriā in Britannicā Africā tropicā»⁵⁸ disputabatur. Nam huius textūs punctum quoddam magni momenti erat regiminis cooperatio cum missionibus, quae cooperatio cum «procuracionibus voluntariis sive educatoriis»⁵⁹ omni modo promovenda esset.⁶⁰ Fructus consultationis erat in eo, quod régime assensum est se auxilium pecuniarium scholis missionariis dandum suscepturum esse atque scholae missionariae vice versa concesserunt se aspectūs curriculi publici respecturas esse. Praeterea hunc in modum régime ius accepit, quo scholas missionarias inspicere atque diiudicare sibi licuit.

Anno 1926^o deinde «Consultatoria Commissio Educationis Africanae»⁶¹

54 Scopus ergo erat homines sub sociali fundamento traditionali electi modo scholari moderno educare.

55 Hae deliberationes aliquatenus similes erant ac scopi Germanarum scholarum publicarum.

56 S. Rivers-Smith, inde ex anno 1920^o director sectionis educatoariae, computavit in praedeliberationibus suis indigentiam numeri discipulorum, quia vitare voluit alumnos eruditione scholari praeditos deinde sine labore esse. Eruditio vero populi - sicut antea - scholis missionariis relinquebatur.

57 memorandum, -ī n.: *Denkschrift, Memorandum*. Cfr Ronald Edward LATHAM: Revised medieval Latin word-list from British and Irish sources. Oxford 1965, p. 295; Christian HELFER (³1991), p. 368.

58 «*Education Policy in British tropical Africa*».

59 «*voluntary agency*», «*educational agency*». - «Procuratio voluntaria» appellabantur omnes institutiones non ad régime pertinentes, quae in rebus educatoriis operabantur.

60 De hōc conventū eiusque sequelis cfr ex. gr. Anton FREITAG: Die Afrikamission. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 20, 1930, p. 146; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 247 sqq.; Johanna EGGERT (1970), pp. 203 sqq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. In: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), pp. 32 sqq.; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), pp. 62 sqq.

61 «*Advisory Committee on African Education*».

instituebatur, ad quam pertinebant tres officiales regiminis, duo Africani, duo repraesentantes negotii atque oeconomiae et octo missionarii.⁶² Sodales huius Commissionis regulariter convēnērunt atque de quaestionibus educatoriis disputaverunt solutionesque quaesiverunt.

Denique Kalendis Ian. a. 1928^o lex scholaris⁶³ promulgata est, quā praeter alia continebantur structurae scholarum, systema scholarum, regulae, quibus singulae scholae in indicem publicum recipiebantur et sic porro. Distinguebantur autem varia scholarum genera haec: primo scholae elementariae, ad quas pertinebant simplices missionariae scholae secundariae, quibus nullum auxilium pecuniarium praebebatur, et scholae missionariae saepe in ipsā statione missionariā sitae, quae auxilio pecuniario sustentabantur, et regiminis scholae elementariae in vicis sitae atque scholae elementariae administrationis indigenarum.⁶⁴ Deinde exstabant scholae centrales sive intermediae, quae erant et publicae et missionariae atque ad quas optimi discipuli scholarum elementariarum acciti sunt. Denique erant seminaria magistrorum, quae plerumque cum aliquā scholā centrali cohaerebant et quae quōque sive ab regimine sive ab societatibus missionariis ducebantur et in quibus Africani magistri futuri docebantur.⁶⁵

Magni autem momenti etiam erat mutatio, quae ad magistros Europaeos spectabat. Nam ab illis, qui in scholis operabantur, non solum bona scientia linguae Anglicae exspectabatur - quod in territorio sub dicione Anglorum quasi per se intellegitur -, sed etiam postulabatur, ut ii, qui in scholis docere voluerunt, in Angliā speciale diploma magisterii sibi acquirerent. Aliter in scholis ab regimine sustentatis munere magistri fungi non iam potuerunt. Hōc decretum certe multum ad qualitatem scholarum augendam attribuit.

Novo autem systemate scholae missionariae generaliter magis agnitae erant quam tempore coloniae Germanicae. Tamen praesertim propter auxilium pecuniarium atque propter publicum ius inspiciendi missiones (et protestanticae et catholicae) quoad res educatorias putaverunt se magis ab regimine

62 Propter systema seligendi dicuntur hac in Commissione per aliquot annos protestantes praeponderantiam habuisse.

63 «*Educations Ordinance and Regulations*».

64 Quae scholae «*Native Authority Schools*» appellabantur et saepe ex illis pristinis scholis missionariis exortae sunt, quas magistri Africani tempore difficili bellico atque postbellico sustentaverant.

65 De generibus scholarum *cf.* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 203 sqq.; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 306 sqq.

dependere atque libertatem quandam se amisisse. Sed etiam exstabant difficultates concretae. Quā de causā quaedam missionariae consociationes protestanticae mense Septembri a. 1928ⁱ in loco Marangu ad conventum convēnērunt, quo de difficultatibus suis disputaverunt atque postulata quaedam exhibuerunt. Simili modo iam mense Augusto a. 1928ⁱ episcopus Arthurus [Arthur] Hinsley, Visitator Apostolicus,⁶⁶ episcopos Vicariatuum, qui in Territorio Tanganyikae siti erant, ad oppidum Daressalamense convocavit, ut de problematis consulerent.⁶⁷ Rogationes missionum itaque ad régime translatæ sunt, quæ paene erant eadem, nempe ut libertas praeretur, quā scholas publice non comitatas instruere liceret, et ut missionibus ius sit in scholis publicis institutionem religiosam exhibere, et ut in simplicibus scholis secundariis institutiones fundamentales - id est legere, scribere, computare - docere liceret. Scilicet hae rogationes solum partim concessæ sunt.

Haec omnia certe erant boni gressūs ad systema validum extruendum. Tamen - ut periti dicunt - vera cooperatio sub aspectū aequalitatis inter régime et missiones in re educatoriā demum secundo bello mundano finito ad effectum adducta est.⁶⁸

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 208, 2017, pp. 185-204]

66 Episcopus Arthurus Hinsley anno 1927^o a. papa Pio XI Apostolicus Visitator redditus in Africam Britannicam missus est, ut ibidem non solum visitationem scholarum catholicarum susciperet, sed etiam cooperationem cum regimine instigaret.

67 De his conventibus *cf.* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 214 sqq.; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 255 sq., pp. 302 sq.; Anton FREITAG: Die Afrikamission. *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 20, 1930, pp. 146 sq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1976), pp. 42 sqq.

68 Explicationibus hic praebitis scilicet non omnes aspectūs atque subtilitates huius thematis - quamvis scitū quodque dignas - exhiberi potuerunt, sed solum conspectum quandam ante oculos ponere nobis in animo erat.